



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De Impedimento conditionis servilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ut in casu adducto de conferente elec-
mosynam fingenti paupertatem, con-
cedo; Si error sit extra naturam con-
tractus, & non circa substantiam il-
lius, ut est error circa qualitates
personæ in contractu matrimoniali,
nego antecedens, & consequentiam.
Verum quidem est, quod contractus
bonæ fidei iniiti ex dolo dante cau-
sam contractui sint irritandi, etiamsi
dolus versetur circa accidentia, non
circa substantiam contractus; quia ta-
men matrimonium ex institutione di-
vina est indissolubile, nec irritum est,
nec irritandum, quando dolus dans
causam contractui versatur circa acci-
dentia.

Ad confirmationem diximus, cum
de Sponsal. ex Less., & Con., prob-
abilius esse, quod sponsalia etiam
sint irritanda, ut reliqui contractus,
non vero irrita, quando dolus, sive
error dat causam contractui Sponsali-
tio; Verbi gratia, si quis ratione di-
vitiarum promittat matrimonium Ber-
tæ simulanti se divitem. Et ratio est,
quia in tali casu non deficit consen-
sus circa substantiam, nec deficit vo-
luntarium simpliciter: ergo contractus
non est irritus, quamvis sit irritandus;
Quia tamen matrimonium ratione suæ
indissolubilitatis irritari non potest,
ideo in simili casu nec irritum est,
nec irritandum.

VIII. Addo, quod etiamsi univer-
sim sit ipso jure irritus contractus ce-
lebratus per dolum dantem illi cau-
sam, qui adhibeatur ab altero con-
trahente, ut docet Sanch. lib. 1. disp.
64. ex leg. laud. Et eleganter, ex de-
fectu consensus contrahentium; tamen
contractus matrimonialis (sicut et-
iam professio religiosa) celebratus
per eundem dolum in casu nostro est
validus; quia in matrimonio qualitas
Personæ non spectat ad substantiam
contractus, sed ad rationem impul-
sivam; ergo error circa illam non

Paris VII.

tollit consensum, nec voluntarium sim-
pliciter, ut docent communiter Do-
ctores.

Ratio a priori est, quia cum ma-
trimonium sit indissolubile (sicut et-
iam professio religiosa) incongruum
est, ut quis talem statum perpetuum
eligat dependenter ab aliis rebus ex-
trinsecis, & accidentariis præter eas,
quæ sunt de talis status substantia;
aliter multa matrimonia, & profes-
siones censenda essent irrita; quod
cederet in grave damnum, & scan-
dalum Reipublicæ: Quare dicendum
quod voluntas absoluta contrahendi
matrimonium, vel profitendi, cum
versetur circa statum fixum, & per-
petuum, includat virtualiter volunta-
tem eligendi talem statum, etiamsi
erretur in circumstantiis, & qualita-
tibus huic statui extrinsecis.

ARTICULUS III.

De Impedimento Conditionis servilis.

- I. *Matrimonium ignoranter contractum cum mancipiis jure Ecclesiastico est irritum; dummodo inter contrahentes habeatur inæqualitas.*
- II. *Servi, invito Dominis, valide, ac licite possunt matrimonium contrahere; dummodo non desint obsequiis debitis.*
- III. *Quando servus nequit simul Domino, & Uxori facere satis, prævalet jus Domini, si eo invito matrimonium contraxit; secus prævalet jus Uxoris.*
- IV. *Num possit aliquis sive liber, sive conjugatus seipsum venundare?*
- V. *Si aliter conjux sit liber, alter servus, parius sequitur ventrem quoad servitutem; at sequitur Patrem quoad honores, & nobilitatem.*

Q

I. Cer.

I. **C**ertum est primo, solo jure Ecclesiastico, non naturali conditionem servilem unius, ab altero ignoratam, dirimere matrimonium; ut communiter docent contra Sylvest. & Palat. Non est tamen hic sermo de servis ascriptitiis, qui scilicet agris, vel prædiis colendis sunt perpetuo ascripti, inde tantum deducentes, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, quorum filii dicuntur servi originarii; sed sermo est de mancipiis, in quæ Dominus habet plenum jus vendendi, & in quibusvis operibus occupandi.

Certum deinde est, conditionem servilem debere esse ignoratam ab altero contrahente, ut dirimat matrimonium, ceteroqui nulla fieret injuria alteri contrahenti libero; quandoquidem scienti, & volenti nulla fit injuria. Immo communiter Doctores docent apud Bonac. quæst. 2. punct. 3., quod non sit invalidum matrimonium contractum cum errore conditionis servilis, quando æqualis conditionis sunt contrahentes; ut si servus contrahat cum serva, quam putabat liberam, ex cap. *Si quis, de Conjugio servorum*; vel si liber contrahat cum serva putata libera, dummodo per matrimonium libertatem acquirat; quicquid repugnet Covarr., & Hurt. Etenim Ecclesia apposuit hoc impedimentum, ut tollatur inæqualitas, & ne fiat injuria personis liberis. In his autem casibus nulla haberetur inæqualitas, nec injuria; ergo validum esset matrimonium cum hoc errore contractum: Contra vero est invalidum, si liber contrahat cum serva putata libera, quando hæc non per matrimonium, sed post matrimonium libertatem acquirat; quia quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit. Idque verum est, etiam si post manumissionem servæ alter contrahens liber inscius impedimen-

ti habuerit cum illa copulam animo maritali; etenim talis copula habetur vi primi consensus, qui fuit nullus.

Præterea probabile est ex Sanch. disp. 19., validum esse matrimonium contractum cum errore conditionis a libero cum serva, quæ post breve tempus manumittenda est, videlicet ante sex menses, quod tempus in jure putatur modicum; & quod modicum est, pro nihilo reputatur.

Denique notandum, ignorantiam conditionis servilis crassam, & supinam non reddere matrimonium validum, ut communiter docent cum Sanch. lib. 7. disp. 19. contra Sotum, & Ledesm. Ratio est, quia jus absolute irritat matrimonium ignoranter contractum cum servis; ergo quæcumque ignorantia conditionis servilis est impedimentum dirimens.

II. Quaritur nunc primo; An possit mancipium, invito Domino, matrimonium contrahere.

Respondeo, non solum valide, sed etiam licite posse. Ita communiter ex cap. *p. de Conjugio Servorum*. Immo Domini nec possunt mancipiis matrimonium interdicerere, nec illa punire, quod matrimonium ipsis invitis contraxerint. Ratio est, quia etiam servi habent plenum dominium in sua corpora; & consequenter possunt per matrimonium tradere conjugii dominium proprii corporis. Debent tamen servi, antequam matrimonium contrahant, consensum a Domino petere, ut diximus quæst. 4. art. 1. de filiis, qui debent a Parentibus consilium petere, (quamvis non teneantur illud sequi) cum id exigat reverentia debita. Notandum tamen, quod servus cavere debeat, ne privet Dominum debitis obsequiis, contrahendo matrimonium, illo invito; Nam per matrimonium non eximitur ab obligatione erga illum.

III. Quæritur secundo; si mancipium, invito Domino, matrimonium contraxit, & non potest simul satisfacere Domino, & Uxori, Utrinam prius satisfacere debet?

Respondeo, variare in hoc puncto Doctores. Probabilius existimo, quod docuit Perez, distinguendum esse; nam si consentiente Domino contraxit matrimonium, prevalere debet jus conjugis; quia cui conceditur principale, videtur concedi accessorium, ex cap. Prudentiam, de Officio delegati; si vero, ut in casu proposito, invito Domino contraxit, prevalere debet jus Domini; quia ex cap. I. de Conjugiis servus tenetur ad consueta Domino obsequia præstanda, non minus quando est conjugatus, quam quando non est conjugatus; Etenim res cum suo onere transit ad Possessorem, ex cap. Ex literis, de pignoribus; atque adeo jus Domini prævalet.

Ubi notandum, quod si Dominus consensit in matrimonium servi, non tenetur ei quicquam remittere de servitiis solitis, sed tenetur non vendere illum in remotis Regionibus sine notabili necessitate, nec impedire omnino usum matrimonii: Contra tamen, si Dominus non consensit, non peccaret contra justitiam, sed solum contra charitatem, si sine justa causa illum in Regionibus remotis venderet.

IV. Rogabis; An conjugatus possit seipsum venundare, hoc est seipsum alteri dare in servitutem?

Respondeo, certum esse, id non licere sine justa causa neque conjugato, neque non conjugato; esset enim talis venditio manifesta profusio suæ libertatis, quæ præstantior est bonis fortunæ, & famæ: ergo si non licet prodige profundere bona fortunæ, & famæ, a fortiori nec libertatem. Interveniente au-

tem justa causa, licitum est; quia unusquisque Dominus est bonorum suorum, honoris, famæ, & libertatis. Quod constat exemplo laudabili B. Paulini seipsum vendentis pro libertate filii cujusdam Viduæ. Si vero conjugatus invito altero conjugate seipsum venundaret, peccaret etiam contra justitiam; ut notant Ledesm., & Perez contra Sanch.; quia quamvis id non cederet in detrimentum conjugis quoad debitum conjugale, at cederet in dedecus grave uxoris, & filiorum, & redundaret in ipsorum injuriam. Addo, quod in Regno Hispaniæ talis venditio non est valida, & potest ab uxore rescindi non soluto pretio, ex leg. regia final., titul. 5. part. 4.

V. Quæritur ultimo; quando alter conjux est servus, alter liber, filii, qui nascuntur, suntne liberi, an servi?

Respondeo, filios in hoc sequi conditionem matris, quæ magis certa est, quam Patris, ex leg. Partum, Cod. de rei vindicatione; ubi habetur, quod partus sequitur ventrem; ita ut si mater sit libera, is liber sit, si serva, servus: Contra vero quoad honores, & nobilitatem, filius sequitur conditionem Patris, ex leg. cum legitime ff. de statu hominum. Et rationem assignat D. Th. quia cum filius recipiat suum esse a Patre, tamquam a principali causa efficiente, honor, & dignitas, quæ pertinent ad esse filii, sequuntur conditionem Patris.

Notandum tamen, quod si mater serva fuerit facta libera tempore, quo uterum gestat, partus est liber; quia libera est mater, dum parit, ut notant Sanch., & alii.